SIGISMVNDVS AVGVSTVS

Dei gratia Rex Poloniae magnus dux Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Significamus tenore praesentium quorum interest universis et singulis praesentibus et futuris harum noticiam habituris exhibitas nobis esse nomine nobilis Andreae Zimnieczki literas pargameneas infrascriptas Serenissimi olim Casimiri Regis Poloniae praedecessoris nostri continentes in se venditionem bonorum haereditariorum villarum videlicet Kossina et Mikulicze per quosdam Osthanko et Dersmak fratres germanos nobili militi Ottoni haeredi de Pilcza factas. Supplicatumque nobis fuisse ut literas in forma vidimus in pargameno descriptas ex cancellaria nostra extradere mandare dignaremur. Quarum quidem literarum tenor ad verbum is sequitur. IN NOMINE DOMINI AMEN. Dignum esse dinoscitur ut venditiones et contractus qualescunque solemnis roboret titulus literarum. Proinde nos KAZIMIRVS Dei gratia REX POLONIAE ac terrarum Cracoviae Sandomiriae Siradiae Lanciciae Cuiaviae Pomeraniae Russiaeque dominus et haeres. Noticiae universorum tam praesentium quam futurorum praesentibus declaramus quod accedentes ad nostram Baronumque nostrorum praesentiam Osthanko et Dersmak fratres germani et haeredes de Orzonicze Ruthenj sani mente et corpore existentes, non compulsi nec aliquo dolo circumventi sed bona deliberatione ipsorum animi praehabita haereditates seu bona ipsorum infrascripta videlicet Kossina Mikulicze cum ambabus rippis et molendino vulgariter nuncupatas sitas in praedicta terra nostra Russiae ipsos legitime contingentes cum omnibus et singulis proventibus et obventionibus universis utputa agris pratis, sylvis, boris, nemoribus, mericis, rubetis, gais, venationibus, pascuis, piscinis, piscaturis, molendinis, aquis aquarumque decursibus et generaliter cum universis utilitatibus fructibus reditibus et censibus singulis quae nunc sunt vel esse poterunt quomodolibet in futurum prout eadem haereditates Cossina et Mikulicze in suis distantiis seu limitibus longe lateque sunt distincta. Nobili ac Strenuo militi domino Othoni haeredi de Pilcza capitaneoque praefatae terrae nostrae Russiae nostro fideli et dilecto pro ducentis sexagenis grossorum Bohemicalium numeri Polonicalis sexaginta grossos pro qualibet sexagena numerando iure haereditario vendiderunt et coram nobis perpetuo resignaverunt. Per eundem dominum Othonem et eius legitimos haeredes praelibatas haereditates Cossina et Mikulicze cum rippis et molendino tenendasque habendas et pacifice possidendas vendendas donandas commutandas ac pro sua suorumque successorum voluntate libere quomodolibet convertendas. Quamquidem venditionem emptionem et resignationem rite et rationabiliter factam ratam habentes et gratam ipsam de Maiestati nostra approbamus ratificamus et confirmamus perpetuis temporibus duraturam. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. ACTVM et datum in Cracovia in crastino Beatae Scholasticae virginis et martiris gloriosae Anno Domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Septimo. Praesentibus Trzeslao subdapifero Andrea subiudice Cracoviensibus Zrandotha de Mikolaievicze Petro de Zudaczow Dimitrio vicethezaurario Chochcone de Bybel Iancone de Niezich Sbibone de Roznathowicze et aliis multis fidedignis. Scriptum autem per Iacobum Notarium Aulae nostrae regalis. NOS itaque SIGISMVNDVS AVGVSTVS REX supplicationi eidem uti iustae benigne annuentes literas superius descriptas in forma exempli ex cancellaria nostra extradi mandavimus quas non minoris fidei ac roboris esse ac ipsas originales volumus. In cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum praesentibus est subappensum